



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Visitatione benefic. simplicium Confrater. Hospitalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

ARTICVLVS V.

De visitatione beneficiorum simplicium, Seminarij, Confraternitatum, Hospitalium.

- 1 Beneficiatus cogi potest ad ostendendum titulum, quo beneficium obtinet.
- 2 Titulus beneficij si literæ deperdantur, quomodo probetur.
- 3 Episcopus non potest immutare ordinationem fundatoris.
- 4 Beneficiatus an tenentur adimplere per se ipsum onera Missarum.
- 5 Patronus non potest imponere onus aliquod Ecclesie, sine consensu Episcopi.
- 6 Beneficiati simplices non possunt se ingerere in ijs, quæ spectant ad curatum.
- 7 Sepultura ius spectat propriæ Ecclesie ad Parochialem.
- 8 Confraternitates quælibet possunt visitari ab Ordinario.
- 9 Pia loca quæ dicantur.
- 10 Hospitalia quæ dantur in titulum, æquivalent beneficijs Ecclesiasticis.
- 11 Hospitalia quæ sunt in administratione visitari possunt.
- 12 Hospitalia priuatorum non subsunt ordinario.
- 13 Episcopus in omnibus pijs dispositionibus interuenire potest.
- 14 In visitando Hospitali, quæ aduertenda.
- 15 Capella Hospitalis visitari potest per ordinarium.
- 16 Librorum impressores & propota visitari possunt, & prohiberi, ne vendant libros prohibitos.

Circa visitationem Capellarum, altarium, seu quorumvis beneficiorum simplicium, ultra ea quæ de moribus beneficiati corrigendis ex superioribus cognosci possunt, videri debent literæ ordinum, si quibus est insignitus beneficiatus. *c. legum. 2. quæst. 1.* Item videri debet titulus quo beneficium possidetur, Episcopus enim in visitatione tenetur inquirere de titulo, quo quisque obtinet suum beneficium. *cap. ordinarij. de off. ord. in 6. Gem. v. nu. 7. Franc. ab. num. 5. Abb. in c. cum nostris. de concess. præb. in fin. & in c. licet. Heli. num. 22. de Sim. Aem. Ver. al. decis. 377. p. 2. beneficiatus teneretur docere de suo titulo Iudici inquirenti ex officio suo, licet alias nemo teneatur deducere titulum suum ad petitionem partis. *c. 1. 2. quæst. 4. Abb. in**

cit. c. cum nostris. nu. fin. Et si non ostenderet titulum, posset priuari beneficio. *c. ex frequentibus. de instit. Abb. ib. Sarn. in Reg. de trien. quæst. 43. Rebuff. in prax. de rescrip. ad benef. vac. num. 20.* Nec suffragaretur beneficiato diuturna possessio, quo minus teneatur Episcopo ex officio suo requirenti exhibere titulum sui beneficij. *gl. sing. in c. 1. de reg. iur. in 6.* nisi esset plurium annorum possessio, cum reputatione communi, ut viginti vel triginta annorum, tunc enim cum possessione concurrat ratio specialis propter visitationem Ordinarij, qui dum visitat annis singulis, solet inquirere de titulis beneficiorum, & præsumitur vidisse titulum. *Ioan. Andr. Felin. in cap. illud de præscrip. Dec. in cap. 1. num. 48. de fid. instrum. & quod non tolerasset sine*

Z

titulo

titulo possessorem. *Mohed. decis. 241. alias 15. de caus. poss. vel tolerando* videtur consentire possessioni, & præiudicare sibi ipsi. *Abb. in cit. cap. licet Heli. num. 23. de Sim.* qua ratione præsumitur etiã calumniosa petitio Visitatoris petentis literas super collatione beneficij à possidente beneficium ab annis triginta. *Gemm. in cap. si Iudex. §. fin. num. 4. de sent. excomm. in 6. & ita respondisse Sac. Cong. Episcoporum in vna Nolen. visitationis, refert Paris. de refig. lib. 13. q. 5. num. 114.*

2- Possit etiã beneficiatus, si deperdantur literæ prouisionis, probare titulum suum per testes, per iuramentum proprium concurrentibus adminiculis communis reputationis, possessionis. *Abb. in cap. ex diligenti. num. 3. de Sim. Felin. in rub. de constit. à num. 3. Franc. in procem. 6. v. vniuersitati. Sylu. nup. in tract. de benef. p. 3. quæst. 11. num. 57. Miscard. de prob. conclus. 143. num. 10. & conclus. 843. à num. 11. sed non titulum ex prouisione Papæ, hanc enim non posse probari per testes praxis Curie obtinuit, de qua testatur Paris. lo. cit. de refig. lib. 8. q. 2. num. 13.*

3- Inquirere debet præterea Visitator, an onera si quæ annexa sunt beneficio adimpleantur, adimpleri enim debent, nec illis potest derogari. *c. significatum. de prob. Innoc. in c. fin. de Cler. non resid. Rebuff. in prax. de non. prom. intr. an. num. 17. & Conc. Trid. sess. 25. de ref.* Neque possunt immutari, nisi de voluntate fundatoris, vel hæredis. *Abb. in c. cum accoessissent. num. 5. & constit. Dec. ib. num. 53. Felin. ib. à num. 18. Nau. cons. 7. de Cler. non resid. in antiq. Mohed. decis. 124. alias de iurep.*

Et ne quidẽ infirmitate excusari possit beneficiatus, quo minus missas celebraret, vel per alium celebrari faciat, si be-

neficiũ est principaliter fundatum pro missis celebrandis, nisi infirmitas duret per modicum tempus, vt per octo vel decem dies. *Petr. Nau. de refist. lib. 2. num. 210. relatus à Geruen. in prax. cap. 56. in alijs verò beneficijs quæ non principaliter sunt fundata pro missis celebrandis, Clericus infirmus percipit fructus, licet non impleat onera beneficij sui. Abb. in c. 1. de Cler. agr.*

4- Non possit tamen talis beneficiatus, etiam dum bene valer cogi ad dicendũ missas debitas per se ipsum, sed possit hoc onus adimplere per substitutum. *Lap. alleg. 35. & alleg. 117. Felin. in cap. cum omnes. num. 32. de const. Dec. ib. lect. 2. num. 55. de constit. ad quod etiam declarationem S. Cong. Conc. refert Gonz. 8. Conc. gl. 5. num. 84. in hæc verba.*

Episcopus non potest compellere obtinentem Capellam vt ipsemet celebret, licet in eius fundatione disponatur, quod Capellam celebrent, nã istis onerib. missarum rectè per substitutum satisficit.

Vnde neq; possit cogi taliter beneficiatus, vt promoueatur ad Presbyteratũ, vt fuisse decisum in Rot. in vna Papilonen. Sacrificij coram Mantica. 11. Febr. 1597. & hoc idem respondisse S. Cong. Conc. testatur cit. Gonz. lo. cit. num. 85. & 88. vbi responsum S. Cong. refert in hæc verba.

Si fundatio Capelle esset sub verbis testatoris, quod Capellanus debeat celebrare Diuina officia, die noctũq; sicut ceteri Capellani faciunt, an Capellanus hic debeat esse Presbyter.

Cong. censuit ex his verbis positis in fundatione huius Capelle non inferri necessario, vt Capell. debeat esse Presbyter.

Tum demum aurem teneretur beneficiatus huiusmodi ipsemet onera adimplere, & ordinari ad Presbyteratum, si

in fundatione exprimeretur quod debeat esse actus Sacerdos, & per se ipsū seruire in beneficio. *Franc. in c. 2. de elect. in 6.* quomodo si etiā apponeretur in fundatione cōditio, quod Capellanus non faciens se promoueri intra annū, sit priuatus ipso iure Capellania, si non satisfaceret fundationi, sequeretur ipso facto priuatio. *Rebuff. in prax. cit. lo. de non promot. int. an. nu. 62.* talis enim fundatio haberet vim statuti. *Staphil. de iur. grat. tit. de var. mod. vac. si nimirum cōditio fuerit apposita de consensu Episcopi, vbi enim Fundator disponit, aut ordinat certū modum obseruandum in beneficio fundato, vel restringit beneficiatum aliter quam ius commune, seu disponit de spiritualibus, non tenet nisi consenserit Episcopus. Innoc. in c. quoniam. 2. ne pral. vic. suas. Felt. in c. cum accessissent sup. cit. de constit. Abb. in c. cum dilectus. num. 4. de consuet. vbi dicit Episcopū circa fundationem posse quid cōcedere, etiam in derogationem iuris sui, licet post fundationem non possit.*

Teneretur item beneficiatus ad satisfaciendum in persona suis oneribus, si artaretur statuto particulari, vel ordinatione aliqua superioris, vt quia vacanti beneficio imposuit hoc onus. potest enim imponi onus beneficio vacanti, vt omnes. in c. significatum. de prab. dummodo imponatur vrgente necessitate, seu ex iusta causa, aliter enim posset annullari. *Lap. alleg. 20. Bellamer. in c. significasti. de elect. Paris. cons. 90. num. 3. vol. 4. Pauin. de potest. cap. sed. vac. q. 7. Achil de Gras. decis. 344. alias fin. de Sim.*

Aduertendum præterea Visitatori, ne huiusmodi beneficiati in concernentibus Ecclesiæ Parochiali se intromittant; ad processiones publicas Parochialis, seu alterius maioris Ecclesiæ vt accedāt, ad hoc enim obligātur vt compelli possunt. *Conc. Trid. cit. sess. 25. c. 13. de Regul.*

Functiones autem propriæ Parochi, & in quibus Capellarum, seu quorūvis beneficiorum simplicium Rectores intromittere se non possunt, determinantur in Decreto S. Cong. Rituum relato apud Quarant. v. missa. vt sequitur.

In Ecclesiis Parochialibus, & quæ sub Magistrorum Laicorum gubernio & directione esse solent, ex statutis nuncupatis, Sacerdotalia munera ac Presbyterales functiones, quæ populi & animarum curam quoquomodo concernere videntur, quales sunt, Candelarum, Cinerum, Palmarum, Fontis Baptismalis benedictiones, SS. Sacramenti delationes, celebrationes missarum feria quinta in Cæna Domini, & Sabbathi Sancti aspersiones domorū, & quæ in Dominicis diebus in Ecclesia fiunt, quæq; circa cultum SS. Sacramenti Corporis Christi in 40 horarū oratione, & similes, nō ad Capellanos seu Sacristam Ecclesiarū huiusmodi ab eisdem Laicis deputatos, sed ad Parochum seu Rectorem animarum curā habentem in Ecclesiis huiusmodi institutū precedente examine, & alijs requisitis ab Ordinario loci prouisum, spectare debere censuit Sacrorum Rituum Congregatio die 17. Maij. 1602.

Prolomæus Cardinalis.

Alex. Gratianus pro Secretario.

Huc pertinet quod in huiusmodi Eccl. non Parochialibus non potest haberi sepultura, hæc enim nulla Eccl. habere debet, nisi quæ habet populum. *Abb. in cap. Clem. dudū n. 37. de sepult.* Nec potest in talibus Eccl. nō Parochialibus asseruari SS. Sacramētum pro adoratione, ne quidem de licentia loci Episcopi, nisi ex auctoritate & cōcessione Papæ, quod sibi respōsū fuisse à S. Cong. Cōc. in an. 1609. refert *Genn. in ci. prax. c. 110.* his ver bis.

Z 1

Duo

Duo enim dubia circa hoc petij declarari. Primum, an Episcopus possit concedere Ecclesie non Parochiali, vt in ea retineatur SS. Sacramentum Eucharistia solum pro adoratione, vel requiratur auctoritas Papa. Secundum, presupposito quod Episcopus concesserit licentiam asseruandi SS. Sacramentum in Eccl. non Parochiali pro adoratione, an possit Episcopus Successor dictam licentiam reuocare. S. Congregatio respondit infra scriptis verbis.

Ad primum id non posse concedi ab Ordinario, sed requiri licentiam Sedis Apostolicæ.

Ad secundum, huiusmodi licentiã fuisse nullam, ac propterea ei nõ esse deferendũ, nec esse necessariam reuocationem.

Necessarium itaque est ad hoc priuilegium Papæ, vt habent Regulares.

Ad extremum huiusmodi beneficia simplicia si fuerint ad tenuitatem redacta vel fundata in Ecclesijs, quæ vetustate collapsæ amplius instaurari non possunt, transferri possent, vel vniri alicui Eccl. siæ alteri vocatis, quorum interest. *cit. Conc. Trid. sess. 21. cap. 7. de ref.*

Non solum autem circa Ecclesias & beneficia Ecclesiastica & Clericos iurisdicctio Episcopalis versatur, sed etiam quoad omnia loca pia & causas pias, introrromittere se potest. *cap. tua nol. de testam. c. super quibusdam. de ver. signif. Abb. ib. & in c. cum esses. num. 33. ut. cit. de testam.* Idecirco etiam ad ista visitatio ipse extenditur.

Vnde primo circa visitationem Seminarij, videndum est quomodo obseruetur in receptione singulorum, ne minores duodecim annis recipiantur, item vt recipiendi habeant bonam indolem, & aliqua principia literarum, & vt de ijs sit spes, quod Ecclesiasticis ministerijs per-

petuò sint inseruituri. Ne item recipiantur nisi pauperes; diuites ita demum recipiantur, si suo sumptu ibidem alantur.

Inquirẽdũ præterea, an aliqui sint difcoli, & alios corrumpẽtes, & castigandi.

An habeant aliqua exercitia spiritualia, missas an audiant singulis diebus, an sapius confiteantur, communicent.

In literis quo ordine, à quibus præceptoribus, num à viris probis instituantur. In victu & alijs necessarijs, quomodo prouideantur, prouentus Seminarij, quomodo dispensentur, & si ipse Episcopus visitat, possit vna cum deputatis ex Clero, & Capitulo rationem expensorum exigere & auscultare.

Ordinationes item aliquas in posterum obseruandas, si quas salubres & necessarias iudicauerit, possit ibidem de consilio dictorum deputatorum relinquere. *Conc. cit. sess. 23. c. 18. de ref.*

Quod autem ad Confraternitates quascunq; etiam Laicorum attinet, istæ quoque quoad actiones spirituales, vt quoad cõfessiones, communionem, missas, sepulturam, habitum, & modum in processionibus publicis seruandum, subsunt Episcopo, etiam si in Ecclesijs Regulariũ congregationes suas habeant. *Nauar. conf. 3. de for. comp. & possunt ab ipso visitari quoad præmissa, nulla exẽptione obstante.* Ex tamen quæ sub Regum immediata protectione existunt, nõ nisi de eorundem Regum licentia visitari debent. *cit. Conc. sess. 22. c. 8. de ref.* Administratores quoq; Confraternitatum earundem, reddere tenentur rationẽ administrationis suæ Ordinario, quod si alicubi siue legitima cõsuetudine, siue priuilegio obtinuerint, vt rationem non nisi deputatis è medio Cõgregationis reddant, adhuc Episcopus possit cum illis deputatis interesse rationi. *id. Conc. sess. 22. c. 8. de ref.* melius autem iudicari poterit.

terit, in quibus confraternitates huiusmodi Ordinario subsint, & quae Visitatori in earum visitatione aduertenda sint, si quaedam ab eisdem Confraternitatibus obseruanda ex ordinatione Clem. Papae VIII. viderimus. cuius Constit. publicata Roma, die 24. Decemb. 1604. tenor sequitur.

Clemens. Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam

Quacumq; à Sede Apostolica ad promouendam Christi fidelium salutem aliquando concessa sunt, et si ea maturo consilio, magnaq; prudentia & cautione sancita & decreta sint, tamen cum Rom. Pont. de animarum salute sollicitus progressu temporis animaduertit, sensim aliquos abusus in eisdem statutis & decretis obseruandis prouenire, debet pro sui Pastoralis officij munere illis opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio prouidere. Cui itaq; à plurimis Rom. Pont. praedecessoribus nostris, & forsitan etiã à nobis nonnullis Regularibus ordinibus, Religionibus & Institutis, ac etiã Christi fidelium Sacularium Archiconfraternitatibus & Congregationibus diuersarum nationum, nominum, & institutorum, tam in alma Vrbe nostra, quam in alijs ciuitatibus, & locis Christiani orbis institutis, facultas erigendi, & instituendi in eorum, & in alijs Ecclesijs & Collegijs, nec non etiã sibi aggregandi Confraternitates & Congregationes in eadem Vrbe, & in alijs locis existentes, eisq; priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; Spirituales gratias & indulta sibi concessa respectiue communicandi, attributa fuerit, ac nulla certa forma vel ratio praescripta sit, qua in hu-

iusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus & communicationibus faciendis, seruari debeat; propterea siue negligentia superiorum Ordinum, Religionum & institutorum, vel Officialium, Archiconfraternitatum & Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium & communicantium, quae Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis, ac aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, indulgentiarum, aliarumq; gratiarum praedictarum sunt, non seruant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus seruari debitam, neq; perscribunt modum, quo priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum & Congregationum incuria, qua non inquirunt ea, qua praestare oportet, vt illa consequantur, nonnulla praua consuetudines irrepserunt, multaq; incommoda inde prouenerunt. Quibus nos pro commisso nobis Apostolica sollicitudinis officio, paternaq; erga omnes Christi fideles charitate prospicere volentes hac nostra constitutione perpetuo valitura.

Confraternitates non sunt erigendae nisi de consensu Loci Ordinarij.

Decernimus atq; statuimus, vt in posterum à huius almae Vrbe nostrae, quã aliarum Ciuitatum & locorum totius Christiani Orbis Regularium Ordinum, Religionum & institutorum, quibus in eorum, & quibuscuq; alijs Ecclesijs & Collegijs Confraternitates Sacularium erigendi & instituendi facultas concessa est, nec non etiã Archiconfraternitatum & Congregationum cuiusuis nationis, nominis, & instituti il-

le sint, & in quibuscumq; Ecclesiis, Domibus & Oratorijs, tã Saculariũ quam vt praefertur quorũcumq; etiam mendicantiũ Ordinum, Religionum, & institutorũ Regulariũ, quãu tam ordinaria quã Apostolica auctoritate erecta ac constituta existant, seu alias quouis modo introducta reperiãtur, quib; alias Cõfraternitates, & Cõgregationes instituendi, erigendi ac sibi aggregandi, illisq; priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta praedicta enlargiendi, & communicandi potestas à Rom. Pontif. praedecessoribus nostris, vel à nobis, & Apost. Sede attributa fuit, Magistris, Priores, Praepositi, Rectores, Gubernatores, praeceptores, Primicerij, Praelati Custodes, Guardiani, Praefecti, Administratores & alij Officiales seu Superiores quouis modo nuncupati, regularium siquidẽ ordinũ, Religionũ, & institutorũ, vnam tantum Cõfraternitatẽ, & Cõgregationem, de consensu tamen ordinarij loci, & cũ litteris eius testimonialibus, quibus Cõfraternitatis, & Cõgregationis erigendae, & instituendae pietas, & Christianae charitatis officia, quae exercere cupit apud eos comendentur, in eorũ, & quibuscumq; alijs Ecclesiis, & Collegijs erigere & instituere, ceterarũ verò Archiconfraternitatum, & Cõgregationum in singulis ciuitatibus, oppidis, vel locis vnã etiam Cõfraternitatem, & Cõgregationẽ duntaxat, quae Apostolica, vel ordinaria auctoritate prius erecta nulli alteri ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Cõgregationi eiusdẽ, vel alterius nationis, nominis, & instituti aggregata sit, prauo similiter loci ordinarij consensu, & cum eius litteris te-

stimonialibus, quibus eiusdem Cõfraternitatis, & Cõgregationis aggregandae institutũ, pietas, & Christianae charitatis officia quae exercere consuevit apud eos commendentur sibi adiungere, & aggregare possint. Huic verò Cõfraternitati & Cõgregationi erigendae, instituendae seu aggregandae, ea tantũ priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta, quae ipsi ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Cõgregationi aggreganti nominatim, & in specie, non autẽ quae per extensionẽ, vel communicationẽ sibi quouis modo cõcessa sunt, & illa quidẽ nõ sub generali forma verborũ, vel ad instar, sed expressẽ, & in specie cõmunicare valeãt.

Statuta Cõfratrum ab ordine examinari, approbari & corrigi possunt.

Statuta autem pro regimine Ordinũ, Religionum, & Institutorum erigentũ, & instituentium ac communicantiũ seu Archiconfraternitatuũ, & Cõgregationũ aggregantiũ edita, Cõfraternitatibus erigendis, instituendis & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorũ, & aliorũ praedictorũ fiunt, impartiri nõ possint, nisi ea prius ab Episcopo Diocesano examinata & pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdẽ Episcopi decretis ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant. Indulgentias concedendas aggregatis confraternit. Ordinarius prius cognoscere debet.

Insuper volumus, & ordinamus, vt praedicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia,

tia, nec non Archiconfraternitates & Congregationes aggregantes, certā erigendi, instituendi, aggregandi, & cōmunicandi formulā à nobis nouissime approbatā diligenter obseruent, secundū quā priuilegia, indulgētias, facultates aliasq; spirituales gratias & indulta ipsis ordinibus, Religionibus, institutis erigētib; instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus seu Congregationibus aggregantibus nominatim & expresse, non autem per communicationem, neque ad instar, vt supra concessa ipsis Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare possint; quibus Confraternitates & Congregationes eiusdem duntaxat nationis, & nominis, ordinis, Religionis & instituti, Archiconfraternitatis & Congregationis cui aggregantur, tam hactenus aggregata, quā in posterum aggreganda viantur, potiuntur & gaudeant: ita vt dictarum Confraternitatum & Congregationum erectarū, institutarum & aggregatarum, ac quibus communicationes facta sunt ministri & Officiales, & alij supradicti priuilegia, indulgētias, facultates, aliasq; spirituales gratias & indulta huiusmodi, prout tamen recognitione Ordinarij loci, qui adhibitis duobus de eiusdē Ecclesia Capitulo illa iuxta sacri Conc. Trid. decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

Quibus etiam ministris Officialibus & alijs predictis Eleemosynas & alia oblata Christiana charitatis subsidia iuxta modum & formam per Ordinariū loci prescribendam, remotis ta-

men mensis, peluib; & capsis, quae in Ecclesijs & Oratorijs dictarum Confraternitatum & Congregationum publicē ad hoc exponi consueverunt, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates & Congregationes aggregantes tam Alma Vrbs quam aliarum ciuitatum & locorum quoruncunque iuxta modum à Vicario Vrbs & ab Ordinarijs locorum respectiue prescribendum, obseruare teneantur.

Eleemosynas collectas pro arbitrio vsus Ordinarij ad pios exponant Confratres.

Eleemosynas autem sic collectas in reparationem & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium & communicantium, ac Archiconfraternitatum & Congregationum aggregantium, quam Confraternitatum & Congregationum erigendarum, instituentiarum & aggregandarum, & quibus communicationes fiunt, aut in alios earum pios vsus arbitrio eiusdem Vicarij nostri in Vrbe, nec non Ordinariorum locorum respectiue fideliter exponere atq; erogare procurent, vt omnes intelligant caelestes Ecclesia thesauros non quaestus aut alicuius lucri causa, sed pietatis & charitatis excitanda gratia ex Apostolica Sedis benignitate Christi fidelibus aperiri.

Confessarij Confrateru sint approbati ab Ordinario.

Prase-

Prætere a volumus, vt confessarij, qui vigore Priuilegiorum ipsis ordinibus Religionibus, institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus ac Congregationibus aggregantibus concessorum, ac confraternitatibus & congregationibus aggregandis communicandorum eligi possunt & potuerunt, seculares in aliqua Vrbe, à prædicto nostro Vicario extra Urbem verò à locorum Ordinarijs, Regulares autem non solum à prædicto Vicario nostro, & à locorum Ordinarijs respectiue, sed etiam à suis superioribus approbati sint; vt q. confratres consistentes à criminibus, casibus & censuris iuxta dictorum priuilegiorum (quatenus tamē sint in vsu & sacris Conc. Trid. Decretis ac Romanorum Pontif. prædecessorum nostrorum & nostris Constitutionibus nõ aduersentur, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocantibus comprehensa sint) formam & tenorem duntaxat absoluerent valeant.

Casus reseruatos quos absolueri non possint Confessarij Confraternitatum.

Decernimus insuper vt ijdem Confessarij prædictos confratres cuiuscunq. gradus, status, conditionis & præminentie, etiam si speciali nota digna fuerint, à casibus contentis in litteris qua die Cæna Domini legi consueuerunt, nec non violationis immunitatis & libertatis Ecclesiastica, & clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria & vrgenti causa, ac sine superiorum licentia, vel etiam si causa & licentia concessa abutentes, prædicta Monasteria

ingressi fuerint, nec non violenta manus iniectio in Clericum, & singularis certaminis seu duelli, ac ab alijs etiam casibus tam à nobis quam à prædicto nostro in Vrbe Vicario & locorū Ordinarijs respectiue reseruat, & pro tempore reseruandus, & etiam à quauis excommunicatione ab homine lata, absolueri, & super irregularitatibus tam ex aliquo defectu proueniētibus, quā occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare prætextu dictorum priuilegiorum nullo modo possint.

Confraternitates ante erectæ nouas erectionum litteras petant.

Demū statuimus & pariter ordinamus, vt Confraternitates, & Cōgregationes, vbis locorū, quauis authoritate vt præfertur erectæ & instituta, quibus cōmunicationes prædictæ factæ sunt, ac cuiuscunq. ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus & Cōgregationibus, nouas erectionū, institutionū, cōmunicationū, & aggregationū litteras iuxta formam à nobis nouissimè approbatam, infra annum si in Europa sint, & si extra Europam fuerint, infra biennium à die publicationis presentium in Romana Curia facienda computandos impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapso erectiones institutiones & quacunq. cōmunicationes priuilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumq. spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessæ, nullius sint roboris & momenti, ac reuocata & aboluta censeantur eo ipso.

Litteræ erectionum gratis dandæ.

Erectionum autem, institutionū, cōmunicationum, & aggregationum, tam hæc

hactenus factarum, quã deinceps faciendarum littera ab ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus, gratis omnino, ac nulla prorsus mercede etiã à sponte dantibus accepta expediri, & concedi debeant.

Pœna contra Contravenientes.

Quod si ministri aliqui superiores vel Officiales quocunq; nomine nuncupati, Ordinum, Religionum, Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationũ, & Confraternitatum huiusmodi quauis auctoritate vel priuilegio & officio fungantur & præfulgeant, contra præmissa in aliquo venire, ac facere præsumserint, erectiones, institutiones & communicationes, priuilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumq; gratiarum & indultorum, aliorumq; præmissorum concessiones, nec non aggregationes per ipsos faciendas seu renouanda, nullius sint roboris, & momenti; & quilibet eorũdem ministrorum, superiorum, officialium, & aliorum prædictorum priuationis officiorũ, quã obtinet ac inhabilitatis ad illa & alia impsterum obtinenda pœnam, quã ab alio quam à nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit incurrat eo ipso. Decernentes presentes litteras perpetuo validas & efficaces existere & fore, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat inuiolabiliter obseruari debere. Sicq; nostram mentis, & intentionis existere, & ita, & non aliter per quoscunq; iudices &c. Non obstantibus, &c.

Frequenter etiam in negotijs Confraternitatum occurrere solet dubium, an possint compelli ad publicas processio-

nes per Episcopum ad quos resoluendum subiunximus hic decretũ. S. Congr. Conc. datum Episcopo Scalensi, prout refertur apud Quaran. verba præcedentia, vt sequitur.

Reuerendiss. vti Frater. Quamuis Thesaurarij magistri & Confratres Sancta Maria Annunciata magis conscientia sua, ac pietati satisfecissent, si Ampl. tua eps ad publicas processiones vocanti morem gessissent: cum tamen ad eas accedere detestauerint, neq; ab Amplit. tua compelli, neque vllis propterea Censuris distringi atq; inmodari debuerunt, quod sapius alias consulti responderunt, Illustrissimi Patres Sacri Conc. Trid. interpretes. Itaque interdictum hac de causa latum, protinus tollas oportet, ac de cetero à similibus compulsionib. abstineas. Deus Amplit. tuam incolumem seruet. Roma die 6. May 1597.

Amplit. tuã vti Frater.

Card. Matthæius.

Post Visitationem Fraternitatum sequuntur montes pietatis siue charitatis & quæcunque loca pia hæc enim visitari quoque possunt per Ordinarium. Conc. Trident. sess. 22. cap. 8. de ref. cum sint etiam de foro Ecclesiæ & æquiparentur Ecclesijs. Abb. in cap. accedentibus num. 3. de priuil. & in cap. de quarta. num. 7. de præscript. Felin. ibid. Dec. in cap. de Ecclesia. S. M. num. 27. de Constitut. Dicuntur autem loca pia in quibus exercentur officia pietatis. cit. Abb. in cap. fin. num. 2. de testam. vt circa salutem animarũ, sustentationẽ pauperum cultũ diuinum. Conc. Trid. loc. cit. Hæc itaque loca nisi fuerint sub im-

mediata protectione Regum visitari possunt liberè per Ordinarium, & circa eorum visitationem inquiri debet, quo ordine eorum prouentus vel elemosynæ colligantur, iuxta dispositionem foundationis suæ, & an propriè in usus pios tantùm conuertantur. Super quo tenentur reddere rationem Ordinario administratores huiusmodi locorum, & si aliquo priuilegio, vel consuetudine alijs ad id deputatis soliti essent reddere rationem, adhuc cum illis deputatis interesse deberet rationi Ordinarius. *cit. Conc. cit. cap. 8. & 9. sess. 22. de ref.*

Hospitalia quoque, Xenodochia, Leprosaria, vel si quo alio nomine vocentur, deputata ad curandum infirmos, sustentandos pauperes, vel peregrinos, veniunt appellatione piorum locorum, si fuerint fundata autoritate Episcopi. *Abb. in cap. officij. num. 7. de testament. & ceterum hospitale pro re Ecclesiastica. & religiosa, gaudetq; priuilegijs Eccles. cap. ad hac. de rel. dom. Abb. ib. & in cap. accedentibus. num. 3. de priuileg. Felin. Dec. locis sup. cit. Gamb. de auth. leg. à lat. tit. de potest. leg. circa Hospit. num. 29. Anchar. conf. 253. num. 5.* Sed quomodo visitari possint ex diuersitate ipsorum est iudicandum.

10. Vnde primo hospitalia alia sunt quæ dantur in titulum perpetuum: & hæc per omnia censentur vti alia beneficia Ecclesiastica, & veniunt appellatione beneficiorum. *Mill. in repert. v. beneficij appellatione. Sarnen. in reg. de trien. quæst. 7. num. 3. Gomez. ib. Selu. de benef. p. 2. quæst. 11. Rebuff. in prax. tit. de deuolut. num. 73. Rot. decis. 739. in fin. p. 1. diuers. vnde comprehenduntur sub regula de annali. Mandos. in Reg. 1. de refer. q. 10. comprehenduntur & sub constitutione de publicandis resigna-*

tionibus, vt tenuit *Rota. decis. 739. cit. similiter comprehenduntur sub reservationibus Regularum Cancellariæ, vt deducit Gonz. lo. cit. n. 14.* In eis intitulati faciunt fructus suos, sicut & alij beneficiati. *Vitalin. in Clem. quia contingit. à num. 12. de relig. dom. Sarnen. loc. cit. Rot. decis. 114. & 122. p. 2. diuers.*

Dicuntur autem conferri in titulum, quando in eorum foundatione ita fuerit expressum, vel si per electionem prouidentur. *Clem. quia contingit. §. vt autem. de relig. dom. Vitalin. ib. à num. 11. Paris. lo. cit. num. 39.* vel si hospitale vnatur accessoriè Ecclesiæ alicui. *Aegid. decis. 387. Rebuff. de nominat. quæst. 15. num. 14.* sed probari debet quod fuerit accessoriè vnatum; alioquin in dubio præsumeretur principaliter vnatum hospitale, & retineret naturam & conditionem hospitalis. *Abb. in Clem. per literas. num. 5. de præb. Card. ib. quæst. 17. Rot. decis. 114. p. 2. diuers.* omnis enim dispositio in dubio debet interpretari, vt potius concordet cum iure communi, quam contra ius. *gl. pen. in cap. cum dilectus. de consuet. Abb. ib. num. 21.* de iure autem communi prohibentur hospitalia in titularia beneficia conuerti. *cit. Clem. per literas. Mohed. decis. 343. alias 18. de can. poss.* Et de istis hospitalibus dubium non est quod possint visitari, quemadmodum de alijs beneficijs Ecclesiasticis diximus in superioribus.

11. Alia hospitalia sunt quæ non dantur in titulum perpetuum, sed in administrationem, seu ad nutum: & hæc propriè sunt hospitalia, nam de hospitalium notura propria est, vt non dentur, nisi in administrationem, & de istis disponit. *Clem. per literas. cit. & Clem. quia con-*

contingit. de rel. dom. ideo dicuntur
 manualia beneficia, seu amouibilia ad
 nutum, quia in illis constitutio & de-
 stitutio fit ad nutum committentis, seu
 fraternitatis. Vitalin. lo. sup. cit. Calder.
 conf. 4. de rel. dom. Gem. conf. 189. num.
 5. Card. conf. 117. Mandos. in Reg. 1. Canc.
 quæst. 10. num. 4. Nec comprehendun-
 tur sub regula de annali vel triennali.
 Rot. decis. 739. cit. nec afficiuntur reserua-
 tionibus. Lap. de hospital. num. 63. Dec.
 conf. 165. Simonet. de reseruat. quæst. 7.
 Aen. de Falcon. de reseruat. quæst. 3.
 princ. à nu. 15. Achil. de Grass. decis. 272.
 Nec veniunt appellatione beneficiorū.
 Card. in cit. Clem. per literas. quæst. 19.
 Vitalin. lo. cit. num. 39. Gig. de pens. q.
 28. num. 6. Mandos. in Reg. 1. Canc. q. 9.
 Rot. decis. 725. p. 1. diuers. præterquam
 infauoralib. gl. in Cle. fin. v. benef. de
 iudic. Anch. ib. n. 2. Card. ib. q. 3. Lap. al-
 leg. 42. Felin. in c. de quarta. sup. cit. nu.
 15. Selu. de benef. p. 1. quæst. 3. vel in illis
 quæ sunt introducta in fauorem publi-
 cū, quæ admodū. Paris. lo. sup. cit. à n. 47.
 probat hospitalia huiusmodi cōprehēdi
 sub constitutione de publicandis resigna-
 tionibus, tanquam inducāta in fauorem
 publicum, ad obuiandum fraudibus, &
 quia in illis militant rationes constitu-
 tionis, vt videlicet ordinarius certus sit
 à quo debeat exigere calculum admini-
 strationis, & vt coloni sciant cui de-
 beant soluere pēfiones, vt per eum latius.
 Sed adhuc distingui potest de huius-
 modi hospitalibus, nam alia sunt quæ
 administrari solent per Clericos seu Re-
 ligiosos, vt sunt hospitalia S. Spiritus,
 in Saxia. S. Mariæ Theutonicorum, &
 ista possunt visitari ab Ordinario, cum
 eius iurisdictioni omnino subsint, nisi
 specialiter sint exempta. cap. de Xenodo-
 chys. & seq. de Relig. dom.

Alia sunt hospitalia quæ per Laicos

administrari consueuerunt. vt gl. in cit.
 Clem. quia contingit. v. secularibus. seu
 in quibus institutio & destitutio Re-
 ctoris spectat ad Laicos alicuius vniuer-
 sitatis, vel fraternitatis, vel domus, &
 hæc dummodo sint publicè deputata ad
 vsum pauperum vel infirmorum, seu
 aliud opus pium auctoritate Ordinarij,
 censentur loca Religiosa. gl. in Clem. per
 literas. v. Ecclesias. de præb. Rebuff. de de-
 nominat. quæst. 15. cit. num. 2. & sub-
 duntur Ordinario, nisi in eorum fun-
 datione de consensu ipsius Ordinarij,
 seu cum confirmatione sedis Apostol.
 aliter fuerit ordinatum. Abb. in cit.
 Clem. quia contingit. num. 4. & possunt
 visitari per Ordinarium. Abb. Card.
 Vitalin. in ea. Clemen. præsertim post
 Conc. Trid. lo. supra cit. sess. 22. cap. 8.
 de ref. nisi fuerint sub mediata pro-
 tectione Regum, vt idem Conc. eo. lo.

Alia demum sunt hospitalia mere pri-
 uata, vt cum aliqua persona in domo
 sua destinat locum pro pauperibus abs-
 que auctoritate Episcopi, hoc enim
 fieri potest. cap. quidem. 18. quæst. 2.
 iun. gl. & alia. gl. in cit. Clem. quia con-
 tingit. v. altare. Ant. de Burr. Abb. in
 cap. ad hoc. num. 4. de rel. dom. & in cap.
 fin. num. 4. de cens. sed talis locus cen-
 setur prophanus, locus enim sine au-
 thoritate Episcopi institutus, nunquam
 potest dici religiosus. glo. in cap. in
 Ecclesiasticis. 13. quæst. 2. Ant. de Burr.
 Abbas in cap. ad hoc. cit. de relig. dom.
 Dec. in cap. quanto. num. 51. de iudic.
 & potest redire ad vsum priuatum volū-
 tate fundatoris viuentis. Innoc. in c. in-
 ter dilectos. de donat. Abb. locis cit. Felin.
 in cap. de quarta. sup. cit. Sylu. Arm. v.
 hospitalia. Calder. conf. 4. de rel. dom. Re-
 doan. de reb. Eccles. non alien. quæst. 41.
 num. 16. nec potest visitari per Ordina-
 rium. Fed. conf. 130. & 225. Abb. in cap.

officij. circ. fin. de testam. si tamen fundator adordinaret, vt eadem hospitalitas ibi per hæredes obseruetur, posset post mortem fundatoris habere curam Ordinarius, quomodo satisfiat piæ voluntati ipsius, vt & in alijs omnibus pijs testatoris dispositionibus exequendis interuenire potest. *Abb. lo. cit. & in cap. de Xenodochijs. num. 3. de rel. dom. per tex. Auth. si quis autem pro redemptione. de Eccles. tit. imò omnium actuum pro- rum, tam viuientium quam morientium, ipse est exequutor Capel. Tholos. decis. 136.*

13. His itaque præmissis de statu hospitalium in casu quo visitari possunt. Videndum est circa eorum visitationem, per quales personas administrantur, & & ne committatur nisi personas personis prouidis, idoneis, & boni testimonij. *Clem. quia contingit. cit. in. gl. v. secularibus. qui cum habeantur instar tutorum & curatorum, tenentur ad instar eorum iurare, conficere inuentarium, & rationem administrationis suæ reddere annis singulis. Clem. cit. Abb. ib. nu. 17. Gem. conf. 89. Rot. decis. 725. num. 9. p. 1. diuers. Et quidem si ex fundatione, priuilegio, aut consuetudine ratio reddenda esset confraternitati hospitalis, adhuc rationi huiusmodi interesse posset Ordinarius. *Conc. Trid. lo. sup. cit. c. 9. sess. 22. de ref.**

14. Aduertendum præterea Visitatori, vt prouentus seu obuentiones hospitalis non nisi in usus destinatos, seu pro pauperibus sustentandis conuertantur. *Clem. cit. & Cõc. Trid. lo. cit. c. 8. Et ne administratio locorum huiusmodi alicui ultra triennium committatur. id. Conc. sess. 25. c. 8. de ref.* Et si bona eorum deteriorarentur vel alienarentur, debet Ordinarius iniungere vt reparentur vel re-

cuperentur omnino, etiam in exemptis. *Clem. cit. quia contingit. S. nos incuriam.* Ea verò quæ aliendis pauperibus forte superessent, posset Ordinarius cum consilio Capituli, vel etiam Patronorū Sæcularium, in alium pium usum conuertere, & etiam totos fructus ad aliud magis pium opus, seu illi loco commodius applicare. *id. Conc. lo. cit.*

15. Circa hospitale potest haberi Capella seu Oratorium pro missis celebrandis, dummodo sit autoritate Episcopi fundatum; alioquin si non fuerit autoritate Episcopi fundatum, non potest ibi haberi Capella pro missis celebrandis, licet simplex Oratorium construere cuique sit liberum. *c. quidam. in. gl. 18. q. 2. c. vnicuiq. dist. 2. de consecr. in. gl. Abb. in ofin. num. 3. de cens. Rot. decis. 725. cit. num. 3.* Vnde Visitator videre debet, quo ordine illa Capella teneatur, quam deceter in illa Sacra peragantur. Capellanus ipsius an suo muneri satisfaciat, an habeat ius administrandi Sacramenta, vel sepulturæ, alioquin administratio Sacramentorum pertineret ad Parochum. *Clem. cit. quia contingit. S. fin. in. Abb. ib. num. fin. Imol. Anchar. ib.* Vnde & Capellanus clauitri seu conseruatorij puellarum non posset administrare Sacramentum matrimonij huiusmodi puellarum, sed id pertinet ad Parochum. *Gen. in prax. c. 67. ubi refert ita fuisse decisum in Curia Archiep. Neap.* Ad extremum circa visitationem & quouis alio tempore debet Episcopus prouidere, ne impressores librorum vel propolæ libros hæreticos vel prohibitos, vel sine nomine authoris imprimant, seu venales exponant sine ipsius licentia, ad ipsum enim spectat censura librorum. *cit. Conc. sess. 4. de edu. libr. ad hoc Suarez de cens. disp. 23. sect. 7.*